sceleris? nonne vanitatis umbra? nonne exigui nectaris dulcedo?
nonne voluptas, nonne vanitas; nonne nihil ad hoc tantum te nec-
essario induxerunt? Verum finge tibi sint aurei montes, qui petunt,
sit aeterna voluptatum possessio, finge, (fingere non tamen licet quod esse
non potest, sint blanda, sint cara, sint dulcia, sint omnia mellea, sint
nectare Ambrosio plenissima, et sinet hanc tantam iniuriam vin-
dex Dei dextera inultam? non sinet, non feret, non patietur, agita-
bunt te ubicunque fueris tanti facinoris furiae, habent adhuc
fulmina Coelites, habent arma, quibus Creatoris iniurias adversus im-
probos vindicent, accusabit te ante illud tribunal tanti faci-
noris impietas ~~improbitas~~. En Benedicte tot arbores, tot antra, tot silvulae,
tot testes turpissimae tuae fugae, rursus quaero, quid ad hanc scele-
stinam te moveat fugam? et respondes iterum: Felicitas: Heu quam
vane! quam stulte? sed quid voluptatis habet etiam voluptas?
certe quod a Iove illi coniunctum est, dolorem habet, et quidem
tot abundat doloribus, quot leporibus Atho, quot Hybla innume-
ratur apibus, Corula quot ficus baccas profert, et hanc tu
voluptatem credis? quae tot abundat doloribus, at vero sit voluptas,
omnis generis se coinquinare scelere, sit delectatio omnia quae arridentia
menti adimplere, sit felicitas abundare divitiis delicijs, longe omnis do-
lor, omnis molestia longe absit, num continua licentia his omnibus te abu-
ti speras? aut vix summis delibabis labris, et ad divinum trahe-
ris tribunal, ubi pro delicijs cruciatus, pro splendido ciborum appa-
ratu, aeterna esuries, pro aureis spondis rosarum aliorumque florum
varietate infartis (saepe tamen et in illis curae sollicitudinesque latere so-
lent.) sternentur tibi prunarum incendia, et unde tot Corpori indi-
cta bella? Fateris Benedicte, fateris, et vehementer fateris,

si ideo